Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 591
Quelle:
Copyright:

Coenobii Ord. Cist. *Baumgartenberg* in super. *Austria* nunc aboliti sequentia complectitur: I. *Sofronii. eusebii. ieronimi in libris hebraicarum questionum incipit prologus ante se inauditis tam grecis quam latinis.* Exemplo eodem modo inscripto usum se dicit *Vallarsius T. III. Opp. col.* 301. a quo etiam per decursum parum abit praesens nostrum, nisi forte Graeca apud illum melius habuerint. Interim malo v. g. sub initium τὸ *iohannis evangelii* nostrum, quam illius *iohannis evangelistæ* &c.

II. *fol.* 18. sequitur: *Explanatio X. temptationum* hoc initio: *Hęc sunt verba quę locutus est moyses* &c. Sequebatur et in *Vallarsii* Codice, sed merito ab eo rejecta est inter subdiditia T. cit. *col.* 741.

III. *fol.* 19. *Explanatio cantici debborę & barach de libro iudicum* hoc initio: *Cecineruntque Debbora et barach filius abinoem. Barach uir debborę* &c. In eodem Codice adjuncta priori, et pariter rejecta ad *col.* 745.

IV. *fol.* 21. p. 2. *Incipiunt hebraicę questiones de libris malachim id est regum.* Ita: *Fuit Vir unus de Ramathain sophim* &c. Ut inter rejecta apud *Vallars.* T. *cit. col.* 755. Nihil in *Librum* IV. pauca in III. Interim manus recens ad calcem ejus adscripsit: *Hic quædam deficiunt;* quod falsum est, ut Codex noster cum Editis collatus docet; sunt enim quaedam tantum transposita.

V. *fol.* 33. *Incipiunt hebraicę questiones prioris partis libri dabreiamin.* Additur: *de quibus si uis tenere ordinem historie. alfabeto e regione affixo naturaliter innitere.* Ut in Codice *Vallarsii*, et T. *cit. col.* 789. Initium est: *Heber nati sunt duo filij* &c. Una cum *Parte* II.

VI. *fol.* 44. p. 2. *Incipiunt* (Quaestiones) *in abacuc prophetam.* In suo quoque Codice eas hic sequi testatur *Vallarsius col.* 822. sed ut *Hieronymo* indignas omisit. Breves sunt, et ineunt: *Vbicunque onus verbi domini ponitur grauedo in prophetia illa signatur* &c.

VII. *fol.* 45. p. 2. *De ieiuniis disputatio.* Exponitur Versus 19. c. VIII. *Zachariae* Proph. quando videlicet et quare Jejunium IV. V. VII. Mensis celebratum sit. De X. nihil.

VIII. *fol.* 46. *Chronica succincte scripta de regno hebreorum.* Memoriae firmandae caussa, primum ab *Abraham* per Reges *Juda* usque ad *Vespasianum* et *Titum*, tum ab *Jeroboam* per Reges *Israel* usque ad *Phacee.* Incipit: *Quadragesimo Tercio anno nini regis assyriorum* &c.

IX. *fol.* eod. p. 2. *In nomine sancte et indiuidue trinitatis incipit liber proemiorum librorum noui ac ueteris testamenti de plenitudine quam in canone catholica recipit ecclesia iuxta uetustam priorum.* Adde *traditionem*, ut est in Edit. *Breuliana Opp. Isidori Hispal. Paris.* 1601. p. 405. Ad hunc enim isthaec Εἰσαγωγὴν spectat, et inci-

pit: